

CARMINA AD COSMODYSTYCHIAM PERTINENTIA (69 vers)

ELEGIACUM TOTIUS COSMODYSTYCHIAE ARGUMENTUM

CP\_1 v.1 Pragmata cunctiparae physeos simul omnia si quis  
2 nosse cupit, nostrum perlegat istud opus  
3 omnia tam parvo cernes congesta libello,  
4 tu modo cuncta legas, nec vereare moras.  
5 Inde genetliacon auctoris rite Celaeni  
6 inspicias, mores fataque dira mei.  
7 In cuius tumulum ter jacto pulvere dicas :  
8 hoc saltem Nigri molliter ossa cubent.

AD LEONEM PONTIFICEM X ASCLEPIADEUM PAEOMPROSEUCTICUM

CP\_2 v.1 Pastor, quem Boreas terruit horrifer  
2 decertans hiemis tempore frigidae  
3 concussos pelagi flectere vortices  
4 et saevo nemorum sternere spiritu  
5 tractus floridulos, grata favonii  
6 expectat cupido flamina pectore,  
7 ut laxo Cybeles munere deviae  
8 et carpant cythisos rure capellulae,  
9 et cantus solitos fistula personet,  
10 abjectis gravibus corde serenulo  
11 curis, sollicitant quae male pauperes ;  
12 sic fluctu medio stat Niger aequoris  
13 nimborum, celeres horridus Africos  
14 perpressus rapidis nunc aquilonibus  
15 certantes, tumidis nunc propius notis,  
16 expectans tepidae sed tamen optima  
17 aurai tremulo tempora corculo :  
18 Hunc imbres feriunt, hunc Jovis improbi  
19 certant Olenio frigore tempora  
20 consumptum miseris manibus addere.  
21 Euxini dubius versor in aequoris  
22 anfractu, teneam quem prius haesitans  
23 portum, seu capiam quae modo littora :  
24 per cautes veluti signa Caphareas

25 deducens, trepidas inter et Orcadas,  
26 horresco silices laedere Nauplias  
27 et quicquid rapidi unda minax freti  
28 portendit pavidis puppibus horridi.  
29 At tu, Christicolum maxime pontifex,  
30 prolem qui Medicen semper amabilem,  
31 illustrem nitidam, splendidiusculo  
32 ornas ingenio, consilio, fide,  
33 prudenti eloquio, quod sapientia  
34 mixtum justitia dexteritateque  
35 divinis penitus fragrat odoribus,  
36 ingens Italiae splendor et unicum  
37 virtutis columen, Pontificum decus,  
38 pravis exitium, praesidium bonis ;  
39 tu mi Tyndaridum stella nitentior,  
40 tu mi leuconotus nubila deterens,  
41 tu mi candidulus portus et optimi  
42 veris nuntia nunc aura favonii.  
43 Emittas radios, quaeso, carinulae  
44 erranti, ut meritum litore faustulo  
45 firmata exodium jam tibi concinat.  
46 Sic te purpureo flore Fluentia  
47 felicem videat, patria nobilis,  
48 fuso Nestoreo puniceos dies  
49 explere, ut supera splendidus abside  
50 demittas radios inferioribus.

CP\_3 v.1 Qui cantu colitis pio Camenas  
2 Terpandri Ismeniaeve vel Pelasgi  
3 Saccae legibus abditam per artem ;  
4 qui Permessidos ora proluistis  
5 alto gurgite ; quisquis astra certis  
6 scrutatur numeris statumque rerum  
7 scit caelestibus applicare causis,  
8 et quicumque abacos arat vel aequor  
9 docti pulveris imprimit figuris,  
10 Gerrhas perlegito tui Celaeni  
11 Naso quo Canius solet Catones.